

LVDOVICVS PALATINVS ELECTOR.



Lvdouicus filius fuit Philippi Palatini Electoris. Is cum fratribus in omni genere uirtutū educatus, post patris obitum in electoratu successit, & inter alios principes postea in magna authoritate fuit. Cum etiam Carolus 1519 Cæsar eligeretur, ipse actioni interfuit, & in eum Cæsarem consensit. deinde Vuormatię in comitijs 1521 Lutherum de religionē differentem audiuīt, & quibusdam alijs de non seruanda fide dubitantibus, in principum confessu indicauit, Germanorum esse cuilibet fidē datam cōseruare. Itaq; Lutherum in Saxoniam reducendum. Postea quoq; in bello rusticano omnem motum magna animi moderatione compescuit, & miseræ plebeculæ ignouit. Pari dexteritate Augustæ Vindelicorū 1530 iratos Cæsaris & principum animos erga Protestantes sua prudentia sedauit, & ut pax in Imperio seruaretur, statuit. Postea quoq; multis in locis apud Cæsarem pro Protestantibus intercessit, ac tandem Suueinfurti & Ratisbone 1532 effecit, ut pax per Germaniam ad futurum Cōcilium sanctiretur. Cum autem illa pax postea à quibusdam turbaretur, cum electore Brandenburgico 1538 eandem iterum recuperauit.